



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Hospitivs C. 21. Maii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

Neq; displicebat conditio à re uxoriã abhorrenti: injecta tamen, mali dæmonis invidiã, aliquantilla properanti mora est. Betellinus quidam repetundarũ postulatus, Austregisili nomen apud Guntramum Regem detulit, calumnia tam speciosa, ut duello purgãda fuerit. Ad id diversis se luctatores studiis præparabant. Austregisilus placare precibus Numen, argentum omne in pauperes effundere, suis se virtutibus magis, quàm armis involvere. Calumniator generosissimo confusus equo, dum divinã vi obtorpescentem fodit calcariibus, ab eodem esterato effusus animã exhalavit. Nemo dubitavit Austregisilo eum pœnas dedisse; qui eã curã liber, sponsæ suæ (Bituricensis Ecclesia fuit) ex voto Episcopus obtigit. Pro dote calum accepit an. DC. XI. nobis quoq; apertum, si exemplo ejus non tam diu, quàm cum Deo deliberaverimus, quod statuendum est semel. *Ex Surio.*

S. HOSPITIUS. C. 21. Maii.

HOSPITIVM qui vidisset, omnibus cooperati sceleribus crederet; qui nõsset, simulachrum esse virtutis pronunciaret. Tanti est, bonum virum ex cultu corporis, an animi æstimes. Apud Nicensem Gallorum urbem altã abditus turri, onustus ferro omniq; reorum squalore deformis, raro cū hominibus

com-

commercio, cum superis æterno agebat, quibus monentibus, iratum Gallis Numen, & Langobardorum irruptione scelera vindicanda esse intellexit. Aliis autor fugæ factus, ipse ergastulo non excessit, & barbaris per urbem grassantibus in conspectum se dedit: Ii pro malefico habitum ad cadē deposcunt; jamque ferrum supra caput erat, cū repente percussoris brachium obrigit, quod HOSPITIUS, signo crucis contra edito correxit. Secuta inde viri æstimatione, hausta ab eo præcepta salutis, quæ qui in aures duntaxat admisere, diro omnes lethi genere periere. Ultimo ante mortem triduo demi sibi vincula passus est: quem cū toto corpore à vermibus depastum non nemo miseraretur, negavit illos sibi convivæ graves fuisse: eorum morsuunculis excitatum se ad amandum Deum, non debuisset suis monitoribus cibum invidere. Simul tamen atq; beatum cælo spiritum reddidit, totum examen disparuit, miræ erga mortuum reverentiâ, ut apparet, in vivum ex ejusdem imperio peccasse. Sed condonemus hoc morti jus, & tantâ nutritum curâ corpus cedat in vermium potestatem. Illum vermem time, qui in animo nidulatur, & inter æternas flammæ, omni Salamandrâ vivacior, nunquam moritur. Ex *Greg. Turon.*